



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Eulalia V. & M. 10. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

10. Dec. VITÆ SANCTORUM. 775  
perdant aeternum diem? S. Aug. serm. 64.  
de verb. Dom.

S. EULALIA V. & M.  
10. Decembris.

**E** Merita Lusitaniæ oppidum, oppidi  
longè maximum decus **EULALIA**  
est virgo, quæ plures palmas quàm an-  
nos, dum vixit, numeravit. Certè an-  
num cum vix duodecimum ageret, sævi-  
retque in Christianos impietas, vigilem  
licet parentum custodiam noctis benefi-  
cio sefellit, interque Angelorum comita-  
tum in jus ultrò ambulavit. Ibi sic rea  
ipsum iudicem accusare ausa est, & ejus  
in pios tyrannidem populo spectante &  
audiente multis objurgare. Quid? quòd,  
cum hic dictis mellitis suadere insisteret,  
ut ad Deos transiret, quò dicta illa de-  
spueret, in vultum tyranni exspuit;  
Deosque & thus Deorum, cumque; his  
minas omnes heroo pede calcavit: fla-  
gris deinde lacera risit etiam, sanguine-  
que suo picta velut superbè circumspexit  
se: demum cum faces ardentes admove-  
rentur, flammis ore patulo excepit, Deo-  
que cum animà lætabunda transmisit. Et  
verò ecce testes castissimi & animi &  
corpuseuli! Ille, uti ipse carnifex specta-  
vit, argenteas columbæ pennas indutus  
cælo se abdidit. Hoc, ut tumulus mani-  
bus

Ccc 4

776 VITÆ SANCTORUM. II. Dec.  
bus responderet, prodigiosa nives texe-  
runt. Et erubuerunt, puto, hæ, cum  
candidius aliquid se, virginitatem vide-  
runt. *Ex Prud.*

*Nihil est in omnium virtutum dignitate  
præstantius, quam pietas misericordia, &  
puras castitatis. His nos præfidiis specia-  
liter instruamus, ut tamquam duabus alis  
elevati de terrenis mereamur esse caelestes.  
S. Leo serm. 4. de Pass.*

S. DANIEL STYLITA.

II. Decembris.

**C**ælo vicinus incola DANIEL est,  
qui annos xxix. columnam habita-  
vit, indeque tempestates, & cum his  
mortalia omnia generoso supercilio de-  
spexit, orci ingens terror, Superis gra-  
tissimum spectaculum. Nempe terris a-  
deoque se altior, clientes sibi que obno-  
xios reges habuit. Ita Leonem filio bea-  
vit, & mortis periculo exemptum Im-  
peratorem sibi vitam debere fecit. At  
Zenoni regni jacturam longè antè vati-  
cinatus est. Contra Basiliscum verò Ec-  
clesiæ hostem ut pugnaret, è columnâ  
descendit, & impendentes Numinis iras  
sævienti objecit non vanus augur. Iam  
& in dæmonas malos regnum tenuit, e-  
que corporibus humanis, cum libuit pro-  
scripsit, fuitque cum mulier, quæ Divi  
in-